Tobiæ Schobingero suo Iohannes Fredericus Gronovius
S. P. D.

Nobilissime et Ornatissime juvenum, Binas tuas, gratissimas utrasque, recte accepi. Gaudeo itineris exordia etiam ex animi sententia tibi provenisse: quod vero tam diligentem mandatorum nostrorum curam servasti, multum tibi me debere fateor. Priores jam usui et bono fuerant: excepi enim hic alterum ex illis, quos scribebas designatos, et ultro citroque sermones, sed nihil dum constitutum. Hoc duntaxat deliberatum mihi, consuetam pistrillam nisi operæ pretio non mutare. Et satis nosti, me hunc secessum, sive mavis solitudinem, non invitum ferre. De statua togata bene fecisti, quod indicasti: erit, ut spero, cum illa mihi penulam reddet, ut inspiciendi nanciscar copiam. Nos interea citius quam putabamus hic vidimus τὸν πάνυ Spanhemium: et vidimus fere tantum: ita nihil erat quo eum diutius teneremus. Erat in comitatu ejus popularis tuus, cui literas ad te Groninga huc allatas tradidi. Quando videris studere, ut me officiis tuis quam devinctissimum habeas, mitto hisce schedulam cum locis Livianis primæ decadis, de quibus per occasionem te scriptos codices in meam gratiam consulere velim. Oxonii in Collegio Novo, siquidem omnia salva, reperies membranaceum codicem, quem ego sub ipsum abitum meū inceperam conferre, adsidente mihi socio ejus collegii Guilelmo Hunt, viro docto et humanissimo. Erat autē codex ille rubro a manu secunda locis dubiis rasus et interpolatus. Lutetiæ Parisiorū in bibliotheca regia est alius recentiori quidem manū scriptus, non tamen contemnendus: ut scio ex secunda Decade, quā dū Puteaneum tracto, fere totā pariter contendi. Est et apud Senatorem Alexandrum Petavium non malæ notæ membrana. Ne moneam de eadem prima decade Basileæ. Quicquid horū videre tibi per occasionem et tuum otium licebit, quicquid inde notare, id mihi gratissimū erit. Nam de Mediceo meministi, me illum, (unum autē illū inter multos ætate excellentem, quem facile agnosces, intelligo) omnibus alibi visis præferre. Nicolaus Heinsius nunc est Florentiæ. Volui quidem nuper ei autē nisus: sed parū spero me efficere posse: ita scio propriis distineri. Misi ante aliquot dies municipi meo Lambecio commendatitias ad Senatorē Sarravium: in iis prolixam tui mentionem feci, ut sic una fidelia duos parietes dealbarem. Ergo certus esto te ei venturū exspectatum. In Anglia Londini Seldeno, Patritio Iunio, Casaubono, viris summis, memoriā nostri refrica: bis et officiosissima salute a me impertiēs. Te vero, præstantissime Schobingere et longe carissime, Deus opt. max. salvum et incolumem, ubi omni jucunditate et fructu peregrinationis tuæ fueris gavisus, sistat salvis pariter tuis, et animum tuū, consilia, studia, tempora sic moderetur, uti exspectationem nostram, quæ profecto maxima est, longe tamen vincas. Omnes nos et juvet, uti meminerunt quam honestissime tui; inprimis uxor mea, quæ eadē mecū vota pro te superis subjicere. Vale, vale et nos ama. postrid. Id. Aug. 1646. CIↃ IↃ CXLVI.

A Monsieur
Monsieur Schosinger

A Amsterdam
op den Dam in de papierbaele

port

Gratiam & Pacem à Deo Patre per J. C. in virtute
Sp. S.

Excellentissime Vir, si sera gratulatio, de sententia Ciceronis, reprehendi non debet, si certe, si nulla tuâ negligentiâ praetermissa est; quis jure mihi succenseat ob seram gratiarum actionem nullâ meâ negligentiâ protelatam? Nempe non satis Tibi fuit, Hospitem, nocte intempesta fores tuas pulsantem mensâ & tecto laute & humaniter excipere, in tertium usque diem hærentem habere, abeuntem dimittere; accumulanda & amplianda erant hæc Humanitatis atque benevolentiæ testimonia indubitata adhuc honorario argenteo largissimo, quo de ne per somnium quidem mihi quicquam in mentem venire debuisset. Quid pro his rependam præter animum gratum & acceptorum beneficiorum memorem, profecto non video. Hoc est quod Tibi de plano promiserim, humanitatis & hospitalitatis tuæ gratam recordationem in animo meo victuram

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Huic quidem sincero & candido meo proposito, ut lubens acquiescas, officiose rogo, memor illius Ovidiani:

Ut desint vires tamen est laudanda Voluntas
Hac ego contentos auguror esse Deos.

De coetero Deum, omnis boni remuneratorem minime avarum, supplex veneror, ut largissimus tuus remunerator esse velit, & Te tuamque familiam omni benedictionum genere mactare dignetur in hoc & futuro seculo. Ita vovet

Excell. Nominis Tui

Cultor verus & sincerus

Seb. Högg.

Sangalli 14. 9bris. 1672.
Cito Expressa.